Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2149

Quelle:
Copyright:

ſe inutile, quod quidam tractatus de non remanentia &c. Ad *Staniſlaum de Znoyma* pertinet jam indicatus *Cod.* alibi.

V. *fol.* 208. Sermones III. de S. *Stephano* tributi *Auguſtino.* Primus inchoat: *Heſterna die natalem habuimus domini ſaluatoris* &c. et legitur inter Spurios T. V. ed. *Maur. append. col.* 350. Alter: *Jeſus filius nave in heremo pugnabat. et moyſes orabat* &c. habetur inter dubios T. V. *col.* 1482. Tertius: *Fratres kariſſimi heſterna die celebrauimus temporalem regis noſtri natalem* &c. non eſt *Auguſtini*, ſed *Fulgentii Ruſp.* proſtatque edit. *Venet.* 1742. p. 252. f.

VI. *fol.* 212. *Prologus beati Bernhardi ſuper Omelia Miſſus eſt.* Initium: *Scribere me aliquid et devocio iubet* &c. Sequuntur *Homiliae* IV. prout extant ed. *Maur.* 1690. T. III. *col.* 732. Ad calcem legitur: *Finite ſunt Omelie Beati Bernhardi ſuper ewangelio Miſſus eſt, die dominico in feſto ſancti donati et ſancte affre, Anno d. M° CCCC° primo per iacobum presbiterum in domo crucis inſtitoris in praga. Gloria tibi domine.*

VII. *fol.* 226. *Omelia b. Jo. Criſoſtomi.* In illud: *Cum appropinquaſſet ihesus Jeroſolimam* &c. Incipit: *Puto res ipſa exigit* &c. et eſt XXXVII. in *Caput* 21. *Matth.* in editionibus obvia, non tamen hodie *Dominica I. Adv.* in uſu Eccleſiae, ut in calce *Cod.* dicitur.

VIII. *fol.* 229. *Omelia venerabilis Bede de eodem.* Initium: *Mediator dei et hominum homo chriſtus ihesus* &c. Extat *Opp.* T. VII. *Colon.* 1688. pro *Dominica Palmar. col.* 261. ſed in *Cod.* fine mutila.

DLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 303. 8. currente calamo a diverſis conſcriptus haec continet: I. tacito Autore Opuſculum aſceticum *de Corde*, cujus ingreſſus: *Si diligenter volumus in lege domini meditari facillime perpendemus ſeptem inſtructiones in ſcriptura ſacra ad noſtram informationem circa cor plane recitari* &c. Adductis dein totidem Scripturae effatis promittitur VII. *Capitulis* agendum: *De preparacione cordis. De cuſtodia. De apercione. De ſtabilitate. De eleuacione. De dacione. De ſciſſione.* Finis ult. Cap. *quem in eo et per eum habebunt, ad quem nos perducere dignetur, qui vivit et regnat* &c. Extant ejusmodi Tractatus inter Scripta *Joh. Gerſonii* et *Joh. ab Indagine* Carthuſ. a noſtro tamen diverſi, qui eſt *Gerardi Leodienſ.* O. P. ut *Cod.* praeced. dictum et manifeſtum ex edit. *Neap.* 4. quae partim annum 1605. partim 1607. praefert, quamvis in *Cod.* praeſenti in ἐπιτομην contractus. *Tannerus* tamen in *Bibl. Brit. Hibern.* eum Autori tribuit, qui nunc ſequitur. 826